



I. Abtheilung: Studien.

S. Gregorius Magnus O. S. B.

Vir doctus, monachus, papa.

Ad centenarium XIII. electionis oblatum.

Adsta hospes et lege.

Hic olim fuit. Magni Gregorii domus.

Ipse in monasterium convertit.

Ubi monasticen professus est.

Et diu abbas praefuit.

Monachi primum Benedictini.

Mox Graeci tenuere.

Dein Benedictini iterum.

Post varios casus.

Quum iam diu esset commendatum.

Et paene desertum.

Anno MDLXXIII. Camaldulenses inducti.

Qui et industria sua. et ope plurimum.

R. E. Cardinalium.

Quorum hic monumenta extant.

Favente etiam Clemente XI. P. M.

Templum et adiacentes aedes.

In hanc quam. cernis formam restituerunt.

Ea sunt verba, quae illam domum in monte Caelio ornant, in qua Gregorius, filius ditissimi senatoris, pronepos Felicis III. papae, ex nobilissima et antiquissima Aniciorum familia anno quingentesimo quadragésimo natus et eruditus est; ac eadem

domus ab ipso in monasterium et ecclesiam, mutato repente saeculi habitu, mutata est. Tempore incursionum Langobardorum et concilii quinti oecumeni praetor Romanus populum magna fortitudine, prudentia, iustitia sibi conciliavit; Deus autem noluit, talem virum mundo tantum non sibi servire. „Diu longaque,“ ut ipse dicit Gregorius, „conversionis gratiam distuli, et postquam coelesti sum desiderio afflatus, saeculari habitu contegi melius putavi. Aperiebatur enim mihi jam de aeternitatis amore quid quaererem: sed insolita me consuetudo devinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc me cogeret animus, praesenti mundo quasi specie tenus deservire, coeperunt multa contra me ex eiusdem mundi cura succrescere, ut in eo jam non specie, sed, quod est gravius, mente retinerer.“ (Praef. ad Job. — ep. ad Leandrum.)

Constantino, successore Sancti Benedicti in Monte Cassino et Simplicio, tertio abbate eiusdem monasterii et Valentiniano abbate monasterii Lateranensis, auctoribus, omnem rem familiarem partim pauperibus dedit, partim eadem sex nova monasteria in Sicilia aedificavit, septimumque Romae in Monte Caelio, in quo ipse Deo monachus servivit. Semper orationibus et studiis, scribendo et dictando occupatus, corpus suum ita neglexit, ut multo jejunio exhaustus, paene vitam solvisset; nisi“ ut suis verbis utar, „me frequenter fratres cibo reficerent, vitalis mihi spiritus funditus intereidi videretur.“ (Dial. III. 33.)

Sed non diu piae et modestae vitae monasticae se dedere potuit. Benedictus I. papa anno quingentesimo septuagesimo septimo ei dignitatem Regionarii sive Cardinalis Diaconi tribuit; repente se sub praetextu ecclesiastici ordinis in causarum saecularium pelago referri et quietem monasterii, quia habendo non fortiter tenuit, quam stricte tenenda fuisset, perdendo cognovit. Cum autem imprimis Apocrisiarius ad aulam imperialem Tiberii Byzantium mitteretur, ad orationis placidum littus quasi anchorae fune se alligavit. Deus animum Gregorii firmavit ne splendore mundi deceptus superiora officia oblivisceretur, neve mandata negligeret. Per sex annos hanc dignitatem tenuit, deinde Romam reversus a fratribus suis abbas monasterii Sancti Andreae electus est. Iterum sex annis peractis, Pelagio II. mortuo, Gregorius una voce a clericis, senatu populoque Romano papa creabatur. Omnia, quae fecerat, ut hoc grave onus de suis humerisolveret, vana fuerunt; Mauritius imperator electionem affirmavit et abbas modestus, quamquam, infirmitatis suae ipsius conscius, secretiora loca petere decreverat jugo conditoris subdidit cervices. Quod factum est anno quingentesimo nonagesimo, quinquagesimo suae aetatis.

Quae dignitas eum non gaudio affectit; ipse dixit Petrodiacono interroganti, quare tam tristis esset: „Infelix quippe animus meus

occupationis suae pulsatus vulnere meminit qualis aliquando in monasterio fuit, quomodo ei labentia cuncta subter erant . . . Quod etiam retentus corpore, ipsa iam carnis claustra contemplatione transibat, quod mortem quoque, quae paene cunctis poena est, videlicet ut ingressum vitae et laboris praemium amabat. At nunc ex occasione curae pastoralis secularium hominum negotia petitur, et post tam pulchram quietis suae speciem, terreni actus pulvere faedatur . . . Ecce etenim nunc magni maris fluctibus quatuor atque in navi mentis multis tempestatis validae procellis illidor. Et cum prioris vitae recolo, quasi post tergum ductis oculis viso littore suspiro.“ (Proem. ad Dialog.)

Papae autem Gregorio occasio multis in rebus data erat scientiae et sapientiae serviendi; idemque fecit. Cuius merita de liturgia omnibus nota sunt, neque quisquam sive papa sive sacerdos sive laicus tantum in ea re suscepit atque perfecit quantum Gregorius. Dederat Sacratissimae missae celebrationi et Officio sanctae Romanae Ecclesiae eam formam, quae usque ad nostra tempora mansit in illo libro, qui „Sacramentarium“ inscribitur, quod opus posteris saeculis correctum et auctum sublimissimum monumentum liturgiae Romanae Ecclesiae factum est.

Gregorio quoque nomen auctoris et fautoris artis christianae dari debet; primus demonstravit magnam utilitatem sanctos venerandi et arte fingendi in illa clara epistula ad episcopum Massiliensem (Epist. lib. IX. Ind. II. ep. CV.) qua eum reprobat, quod nimio studio in paganos imagines sanctorum delevisset; monuit eum, ne oblivisceretur totam ecclesiasticam antiquitatem sanctos picturis finxisse, imagines indoctis tantum esse, quantum scriptura et litterae doctis, et picturas pauperi populo necessarias esse.

Imprimis autem merita de cantu ecclesiastico sibi comparavit, neque immerito in multis ecclesiis et per multa saecula in honorem Gregorii sequentia quaedam cantabatur, qua dicitur:

„Tradidit hic cantum populis normamque canendi,
Quod Domino laudes referant noctuque dieque.“

De suo nomine huic cantui etiam nomen cantui Gregoriano est. Ipse antiquas regulas canendi et harmoniae collegit et necessitati sacri officii adjustavit; ipse cantui illam formam dedit, quam nostris quoque temporibus admiramur. Romae scolam cantus ecclesiastici instituit, in qua juvenes ex omnibus regionibus instruebantur ut ad maiorem Dei gloriam domum reversi nobilem et pulchram artem exercerent et alios docerent. Etiam Germani hic voces suas formaverunt, de quibus Paulus Diaconus (Vita lib. II. 7 —; edit Venetiis 1733) dicit: „Alpina siquidem corpora vocum suarum tonitruis altisone perstreptentia susceptae modulationis dulcedinem proprie non resultant: quia bibuli gutturis barbari feritas, dum in flexionibus et repercussionibus mitem nititur edere canti-

lenam, naturali quodam fragore, quasi plaustra per gradus confuse sonantia rigidas voces jactat.“

De Gregorio fama tradit, quomodo cecinisset et composuisset: „Vidit sanctam Ecclesiam ornatam et compositam, quae quasi musa cantum suum componit, quasi gallina pullos et quasi sub uno dragmae tegmine tabellulae, ubi scripta erat ars musica, nomina tonorum et neumatium numeri.“ Ab ipso verba et compositiones nonnullorum hymnorum originem ducunt, qui in Ecclesia usque ad nostra tempora cantantur et in suo Antiphonario mundo praeclarum exemplum humanae diligentiae reliquit.

Multi adversarii sanctae Ecclesiae et magni papae Gregorium vituperaverunt, quod antiqua monumenta destruxisset, bibliothecam Palatinam concremasset, opera Ciceronis et Livii delevisset et Dieterico episcopo Viennensi opprobrio dedisset, pueros litteras et grammaticas docuisse. Quae accusationes autem, ultima excepta, — lata est enim ab Joanne de Salesbury, qui anno millesimo centesimo octogesimo tertio diem obiit supremum — non ante duodecimum saeculum latae sunt; argumenta, quae non ab aequalibus proveniunt, sive unum vel duo saecula post factum, omnimodo vera esse nemo credit. Habemus autem multa argumenta aequalium sancti Gregorii, quae contraria contendunt, imprimis id Joannis Diaconi, qui dicit: „Septemplicibus artibus, veluti columnis nobilissimorum totidem lapidum apostolicae sedis atrium fulciebat.“ Et de Gregorio ipso aequalis quidem, Gregorius Turonensis (Hist. Franc. X. 1.) affirmat: „Litteris, grammaticis dialectisque ac rhetoricis ita erat institutus, ut nulli in urbe ipsa putaretur esse secundus.“

Officium papae fuit, exclusivum studium mythologiae tempore limitare, quo undique templa paganorum erant, quo paucis annis ante sanctus Benedictus in Monte Cassino templum Apollinis destruxerat; nunquam autem Gregorius studium liberalium artium sive litterarum vetuit. E contrario ostendit liberales artes discendas esse, ut per instructionem illarum divina eloquentia subtilius intelligeretur. A nonnullorum cordibus discendi desiderium maligni spiritus tollunt, ut et saecularia nesciant et ad sublimitatem spiritualium non pertingant. Aperte quidem daemones sciunt, quia, dum saecularibus litteris instruimur, in spiritualibus adjuvamus. Cum nos ea discere dissuadent, quid aliud quam ne lanceam et gladium faciamus praecavent? Episcopum Viennensem autem non propter pueros docendum vituperavit, sed quod dignitatem episcopi dedeceret, studio paganorum poetarum se dedere et in uno se ore cum Jovis laudibus laudes Christi non capere.

Maximum argumentum sapientiae et scientiae St. Gregorii opera huius docti viri sunt. Primus illo saeculo, quo ruinae urbium civilisationem humanam secum condere videbantur, contra haeresim,

rudem animum superbi victoris, desperationem victi pugnavit. Quamquam nonnulli patres eum sermone et eloquentia superarunt, tamen nemo animum hominis ita cognovit quam ipse, nemo scivit, quibus vacaret, quae desideraret, quo remedio optime sanaretur ut Gregorius. De Sacramentario, de Antiphonario, de Dialogis iam supra dictum est. Praeterea illa clara Regula Pastoralis Gregorium auctorem nominat, in qua regulae de officiis et vita et doctrinis pastorum tractantur. De quo libro merito dictum est: „Toti Ecclesiae formam et vitam dedit, et episcopus creavit, qui doctos populos creaverunt“ (Ozanam, fragm. inedit.). Admirabilem librorum, quibus Scriptura tractatur, solum de triginta quinque libris *Moralium* mentionem faciam, quos Apocrisiarius Byzantii incepit et papa Romae finivit. Nostri quoque temporibus tredecim libri *Epistularum* leguntur, quibus pro rebus et necessitatibus leges et decreta Ecclesiae promulgat, quae totum orbem christianum a Britania ad Pontum Euxinum complectant.

Neque minus clarae sunt *Homiliae* magni sancti, imprimis illae viginti duae de *Ezechiele* propheta, quas tempore oppugnationis Romae praedicavit; nunquam ut multi alii verbosus in superfluis, mutus in necessariis fuit.

Quo intellegi potest, Gregorium virum doctum iure cognomen Magni mereri; aequales et posterum non dubitaverunt theologum, philosophum, oratorem simul cum Ambrosio et Augustino et Hieronymo quartum magnum doctorem Ecclesiae occidentis declarare et venerari, in quo verba completa sunt, quae ipse dixit: „In Ecclesia ordo doctorum quasi rex praesidet, quem fidelium suorum turba circumstat.“ (*Moral.* XX. 5.)

Multo maior autem nostra aestimatio Gregorii erit, si cogitamus eum, quamquam sic doctus et sic honestus et sic clarus erat, tamen semper pium et humilem mansisse et semper primo loco se monachum, deinde papam, sive hominem doctum professum esse. Priusquam quod opus in publicum edidit, diversis monasteriis Romae iudicandi causam tradere voluit. Et cum episcopus quidam librum *Moralium* publice legisset, ei scripsit: „Neque enim volo, dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facile hominibus innotesci.“ (*Epist.* lib. XII. ep. 24.) Haec vera humilitas, eum etiam commovit, ut ante abbatem quemdam Persarum genua flecteret, ne hic ante Summum Pontificem id faceret. Hanc pietatem et humilitatem monasticam modesti papae sequentibus porro tractemus.

Gregorius non solum ipse monachus esse voluit, sed etiam alios sublimi Ordini *S. Benedicti* acquirere. Quem ut eo melius auget, vitam fundatoris in secundo libro *Dialogorum* scripsit et regulae sancti *Benedicti* autoritate *Sedis Apostolicae*

maiolem firmitatem et universalitatem tribuit. Haec anno quingentesimo nonagesimo quinto celeberrime promulgata et approbata est, ac anno octingentesimo septuagesimo quarto de hac approbatione dicitur: „Eadem regula S. Spiritu promulgata et laudis auctoritate B. papae Gregorii inter canonicas scripturas et catholicorum doctorum scripta teneri decreta est.“ Eadem intentione severam discretionem inter regularem et saecularem clerum perfecit, ut monachus plus valeret et melius aestimaretur; quae discretio autem sequentibus temporibus totaliter extincta est. Permittere noluit sacerdotem sive diaconum abbatem vel simplicem monachum fieri, nisi simul se omnibus sacerdotalibus sive clericalibus functionibus abdicaret. Nam erant, qui se religiose vivere fingerent, sed de facto ambitione incitarentur monasteriis praeesse, quorum deinde vitam destruxerunt. Quos refutans, probavit Gregorius, monachos ordinem sacerdotalem accipere, ut in monasterio munus altaris exercerent, neque prohibere voluit, quominus monachi dignitatem episcopalem adipiscerentur; et de facto, eo papa, complures monachi episcopi et archiepiscopi facti sunt. Sed unusquisque monachorum, qui ad ecclesiasticam dignitatem vel beneficium vocabatur, e monasterio egredi debuit, neque licuit ei in monasterium reverti, ne eum ad altiora producendo, minorem se ipsum fieri missum in fluctibus compelleret. Eligendum erat inter clericatum et monachatum; satis enim incongruum est, ut, cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explorare, ad utrumque iudicetur idoneus; sicque invicem et ecclesiasticus ordo vitae monasticae et ecclesiasticis utilitatibus regula monachus impedito sit.

Quam quidem piam praeventiam sancti Gregorii experientia saeculorum non affirmavit et eo vivo sedes episcopales a suis discipulis in Anglia fundatae a monachis occupatae sunt. Semper autem id egit, ut disciplina ordinis servaretur. Suis temporibus haec multis in rebus languescebat. Erant in Italia monachi, qui vagarentur, inter quos alii a Langobardis e monasteriis expulsi erant, alii sua sponte discesserant, vel propter nimiam severitatem singulorum abbatum, vel propter molliem quorundam aliorum. Et quia insuper desiderium possessionis, animus rebellis monasteria ingrediebantur, Gregorius omnibus viribus reformationem monasteriorum perficere studuit. Eos, qui monasteria reliquerant, ut pastor bonus reduxit, et ut id quod appetiit etiam consequeretur, preces quidem et admonitiones non recusavit. Sic amico patricio Syracusano, nomine Venantio, qui simul cum ipso monachus factus erat, deinde autem egressus uxorem duxerat, amicissime scribens suasit, ut intelligeret, quid sibi saluti esset: „Multi hominum stulti putaverunt te alloqui et per epistolas frequentare recusarem, in quo habitu fueris recolis, ad quid sis delapsus agnoscis. Scio, quia cum

epistola mea suscipitur, protinus amici conveniunt, literati clientes vocantur. Consiliarium, rogo, me suscipe. Quidquid omnibus fieri salubriter placet, ego in nullo contradico.“ Contigit ei amicum servare, siquidem multis annis peractis.

Pari diligentia curavit ut monasteria virginum instituerentur et augerentur. Tres pater eius sorores habuit, quae cunctae tres sacrae virgines factae, uno omnes ardore conversae, uno eodemque tempore sacratae, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant. In eas imprimis severe se gessit. Poposcit nullam minorem quadraginta annis in perpetuum in monasterium ingredi, et abbatissam ipsam minime sexaginta annos natam esse. Ut pater consuluit monasteriis virginum; et cum circiter tria millia virginum e monasteriis suis, a Longobardis anno quingentesimo nonagesimo septimo destructis, Romam fugerant, pro his, hospitaliter susceptis, nova monasteria condidit.

Imprimis Gregorius vitae contemplativae se dederat, et postulavit, ut et omnes monachi id facerent, ergo etiam mentem interrogavit, quid amaret, nam „necesse est ut quisquis ad contemplationis studia properat, semetipsum subtiliter interroget quantum amat. Machina quippe mentis est vis amoris: quae hanc dum a mundo extrahit in alta sustollit.“ (Moral. VI. 37; 58.) Ut unusquisque semetipsum probare posset, num ad vitam monasticam aptus esset, noviciatum in duos annos duplicavit, cum unum annum, quem sanctus Benedictus decreverat, minimum putaret. Cum ad clericalem professionem tam ex ecclesiastica quam ex saeculari militia, quotidie paene innumerabilis multitudo conflueret, nequaquam eos ad ecclesiastici decoris officium, sed ad capiendum solummodo monasticum propositum suscipiendos censebat. Multos de ecclesiastica familia seu saeculari militia noverant ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi in divino servitio valeant familiaris in monasteriis conversari. Necesse erat, ut quisquis ex juris ecclesiastici vel saecularis militiae servitute, Dei ad servitium converti desideraret, probaretur prius in laico habitu, et si mores eius in monasterio servire permitterentur, ut ab humano servitio liber recederet, qui in divino amore districtiorem subire appetiit servitum.

In suis litteris sanctus Gregorius semper vitam monasticam felicissimam nominavit et laudavit. Summum desiderium papae erat simplicem monachum inter fratres esse et Deo in parva cella servire. „Quasi prospero flatu navigabam,“ scripsit amico Leandro episcopo Hispaniae, „cum tranquillam vitam in monasterio ducerem: sed procellosis subito motibus tempestas exorta in sua perturbatione me rapuit. . . . Ecce nunc in undis versor, et tuae intercessionis tabulam quaero, ut. . . saltem post damna ad littus

per tabulam reducer.“ (Epist. lib. IX. Ind. II. ep. 121 ed. Parisiis 1705.)

Ut minime similiter ac monachi vivere posset, monachos semper circum se habuit. „Remotis a suo cubiculo saecularibus, clericos sibi prudentissimos consiliarios familiaresque delegit, . . . monachorum vero sanctissimos sibi familiares elegit. . . Cum quibus die noctuque versatus, nihil monasticae perfectionis in palatio, nihil pontificalis institutionis in Ecclesia dereliquit. Videbantur passim cum eruditissimis clericis adhaerere pontifici religiosissimi monachi, . . . (Paulus Diac. II. 11.)

In extrema vita magnis doloribus cruciatus est. Sed dolores tanta submissione et resignatione tulit, ut omnes admirarentur. Semper industrius erat; litteras dictavit et de rebus Ecclesiae et monasteriorum sollicitus fuit. Duodecimo die martii anno scescentesimo quarto, paene sexaginta quinque annos natus, tertio decimo anno pontificatus diem obiit supremum. Sepultus est in ecclesia sancti Petri et in sepulchro inscriptio posita est, qua dicitur :

Implebatque actu quidquid sermone docebat.
Hisque, Dei Consul factus, laetare triumphis,
Namque mercedem operum jam sine fine tenes.

Posterii magnitudinem Gregorii cognoverunt, qui sanetitate vitae Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia et scientia Augustinum superat. Hic magnus papa Langobardos domuit, Romam Italiamque servavit, quam imperatores tueri non poterant, superbiam patriarchae Byzantii recusavit, doctrinis totam Ecclesiam illucebat, orientem et occidentem tanta potestate, quanta humilitate, rexit, dedit mundo perfectum exemplum vere Ecclesiastici regni. Gens humana infirma est et raro intellexit, qui vere magni viri sunt. Meritum contingendi non magna est, si nihil patiendum nihil laborandum est. Vera magnitudo est ingentes res parvis mediis perficere, vim infirmitate vincere. Gregorius iure magnus vocandus, qui ex innumerabilibus et ingentibus difficultatibus sine macula evasit, qui omnia et se ipsum bonae rei dedit!

J. H.